

06 12



# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE V. APRILIS ANNI MDCCCLXXV.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. GUIL. WEISSBRODT SPICILEGIUM IN AGRO PUBLICO POPULI ROMANI.

Brunsberegae,

TYPIS HEYNEANIS.

1875





INDEX LECTI ONUM

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. JOS. BENDER,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Spicilegium in agro publico populi Romani.

Particula I.

In agro publico populi Romani postquam acerrimam posuerunt curam diligentiamque ac praeclarissimam messem fecerunt C. G. Heyne, B. G. Niebuhr, G. E. Huschke, C. Lachmann, A. I. Rudorff, F. Bluhme, C. W. Goettling, A. Schwegler, Th. Mommsen, alii, si quis animum inducat spicas legere, quas a summis illis viris praeteritas videat, is non vereor, ne in re eum omnium liberae reipublicae temporum ac vicissitudinum memoria tam arte coniuncta indigne agere operamque perdere videatur iis, qui quam nihil in hoc antiquarum rerum genere vilipendi debeat, perspectum habuerint.

Caput primum.

Varia.

1. Et primum quidem, etsi in huiusmodi quaestionibus hodie iam verum sit Bacchylidis illud: *Ἐτερος ἐξ ἑτέρου σοφὸς τό τε πάλαι τό τε νῦν. Οὐδὲ γὰρ ῥᾶστον ἀρρήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν*, tamen alii alia viri docti praetermiserunt neque in singulis legibus rogationibusque pertractandis semper eorum rationem habuerunt, quae in universum iam recte observata erant summatimque firmissime constituta. Velut C. W. Goettling in libro, quem inscripsit: *Geschichte der römischen Staatsverfassung*, docuit haec: „Wirklich betraf von allen agrarischen Gesetzen keines das wirkliche Landeigenthum, als ein nicht durchgegangenes des L. Marcius Philippus, welcher vorschlug, es sollte eine allgemeine Theilung des Landeigenthums vorgenommen werden“ (Pag. 351).

Sed ne ista quidem una L. Marcii Philippi, cos. a. 91 a. C., rogatio, anni ea circiter 104 a. C., in agros privatos invaderebat. „In primis“, haec sunt Ciceronis verba, quibus Goettlingii disputatio nititur, „videndum erit ei, qui rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat neque de bonis privatorum publice deminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam

ferret, quam tamen antiquari facile passus est et in eo vehementer se moderatum praebuit, sed cum in agendo multa populariter, tum illud male, non esse in civitate duo milia hominum, qui rem haberent. Capitalis oratio est ad aequationem bonorum pertinens: qua peste quae potest esse maior? Hanc enim ob causam maxime, ut sua teneantur, res publicae civitatesque constitutae sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum urbium praesidia quae-rebant.“ (De off. lib. II. cap. XXI. 72.)

Quae lex oratioque, si re vera ad aequationem bonorum pertinuissent, tam nefarii conatus valde mirareris quod a nullo alio scriptore acerbissime castigarentur. Verum enimvero non e iuris distinctione illa verba manaverunt, sed ex indignatione optimatum, quae agrum possessum cum agro privato tantum non semper confudit. Id quod ipsi accidit Ciceroni in eiusdem libri cap. XXII., ubi ad eundem illum locum, quem Goettling laudavit, respicit. „Qui agrariam rem temptant“, inquit, „ut possessores pellantur suis sedibus, ... labefactant fundamenta rei publicae, ... aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia. Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam saeculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?“

Atqui aliam de legibus agrariis sententiam Cicero tulit in oratione II. contra P. Servilium Rullum, tribunum plebis. „Nam vere dicam“, ait, „Quirites, genus ipsum legis agrariae vituperare non possum. Venit enim mihi in mentem, duos clarissimos ..., amantissimos plebis Romanae viros, Tiberium et Gaium Gracchos, plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. Non sum autem ego is consul, qui, ut plerique, nefas esse arbitrer, Gracchos laudare“ (cap. V. § 11). Nimirum oratio habita est ad populum<sup>1)</sup>, et „Gracchorum benignitas“, quae laudatur cap. XXIX. § 81, fuerat „Gracchorum largitio“ in oratione I. in senatu habita (cap. VII. § 21). Ti. Gracchi effertur „aequitas ac pudor“ (ad populum cap. XII. § 31); idem „nihil iuris bonis viris reliquit“ (de leg. III. cap. IX. 20); C. Gracchus „omnem rei publicae statum permutavit“ (ibidem); P. Scipio Nasica „perditos Ti. Gracchi conatus vindicavit, ex dominatu eius in libertatem rem publicam vindicavit; non minus reipublicae profuit, quam eodem tempore Africanus in excindenda Numantia“ (Off. I. cap. XXX., Brut. cap. LVIII., 212, Off. I. cap. XXII.).

Neque vero tacendum est, lenius de Cicerone iudicavisse Niebuhrum (Vorträge über römische Geschichte ed. Isler tom. II. 281): „Diese Hypokrisie hat selbst einen so hellen Kopf, wie Cicero, täuschen können, der merkwürdig über diese und andere Verhältnisse schwankt; sein Herz ist für die Gracchen, aber mit der anraisonnirten Meinung entscheidet er gegen sie“.

2. *Possessio et interdictum praetorium VTI POSSIDETIS* in proverbium abierant, certe ad usum devenerant proverbii proximum. Leni autem emendatione eget locus, qui de tali possessione sermonis extat apud Ciceronem de officiis l. I. cap. XXXVII § 134. Libri enim et scripti et impressi fere haec habent:

„Sit ergo hic sermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis minimeque pertinax, insit in eo lepos. Nec vero, tamquam in possessionem venerit, excludat alios, sed cum reliquis in rebus, tum

<sup>1)</sup> Aliquid Ciceronem ut oratorem sibi permisisse, ut legem Serviliam dissuaderet, caput XXVI. § 70 eiusdem orationis ad populum habitae planum facit. Ibi enim: „Et nimirum“, inquit, „id est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu, urbanam plebem nimium in re publica posse, exhaustam esse; hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina ac non de optimorum civium genere loqueretur“. Et tamen eidem verbo exhaustam alteram sentinae, non cogitatione tantum suppletum, ipse addidit ad Att. lib. I. 19, 4, ubi de lege Flavia rettulit: „populo et Pompeio satisfaciebam emptione, qua ... sentinam urbis exhaustam ... posse arbitrabar“.

in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat, si iocosis, leporem. Inprimisque provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus: quod maxime tum solet evenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum aut severe, maledice contumelioseque dicitur.

Non potest sermo in sermone communi vicissitudinem aequam putare, neque videre, quibus de rebus loquatur, providereque, ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus. Nimii autem sunt interpretes in eo, ut legentibus nobis post verba „in eo lepos“ latentem aliquam personam ostendant, quae subsit verbis putandi, videndi, adhibendi, providendi. Tu in altero enuntiato scribe: „nequis vero“, coniunctis vocabulis. Cum enim „siquis“ et „si quis“ varientur, „nequis“ iam in senatus-consulto de Bacchanalibus, anni 186 a. Chr. n., bis, deinde in lege Bantina, in sententia Minuciorum, in legibus agraria et repetundarum cet., per omnia liberae rei publicae instrumenta publica et privata sine ulla exceptione scribitur circiter tricies. Neque tamen illud „ne“ est proclitica: „quis“ encliticam fuisse ex Charisii, Diomedis, Prisciani, quae sunt de accentu, praeceptis concluderim, quamquam ii scribentes ea vocabula iam videntur diremisisse.

Denique ne quid neglexisse videar, apud Ciceronem vocula „nequis“, ni fallor, nullo altero loco absoluta legitur, sed pendet ex verbis timendi, prohibendi et quae sunt id genus; optime autem convenit imitationi legum, quam animi causa sibi Cicero concessit.

3. In Ciceronis de amicitia libro cap. XI. § 39 traduntur haec:

„At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato et minime tum quidem Gaius frater, nunc idem acerrimus“.

Quid C. Catonis nomen hic sibi velit, non perspicio. Namque ex infinita eorum multitudine, qui a Ti. Graccho steterant, eos potissimum oportuit seligere, qui amici amore seducti aut rebus contra rem publicam gestis aut animo ad nefaria facinora parato maximam culpam contraxissent. Illud de Papirio Carbone, hoc de Blossio Cumanus refertur. Carbonis scelera omnibus nota fuerunt; itaque brevissima neque vero sterilis commemoratio Laelio sufficere visa est cap. XII. § 41; Blossius Cumanus quo fuerit in Ti. Gracchum, quo in rempublicam animo, paucioribus fortasse compertum fuit; itaque de eo explanatius uberiusque dicitur cap. XI. § 37. Si in illorum numero C. Cato fuisset, nudum eius nomen sequi debebat in cap. XII. § 41 rerum gestarum aut verborum enarratio.

De vita C. Catonis M. Porcii Liciniani f. quae extant veterum scriptorum testimonia collegit C. W. Drumann in „Geschichte Roms in seinem Uebergang von der republicanischen zur monarchischen Verfassung“ cet. Vol. V. pag. 151, recte omnino, nisi quod perperam, ni fallor, Sextum Rufum citavit. Qua stirpe ortus ille fuerit, Cicero et Velleius memoriae tradiderunt; consulem eum fuisse, Livius, Plinius, Entropius, Obsequens, Cassiodorus; a Scordiscis clade affectum, postea accusatum et damnatum, item complures auctores testantur. At qui potuit fieri, ut rerum ab eo una cum Ti. Graccho gestarum vel consiliorum communium omnis memoria interiret?

Dubitationem etiam movet Ciceronis in Bruto (cap. XXXIV. §. 128) testimonium: „Invidiosa lege Mamilia quaestione ... L. Bestiam, C. Catonem ... civemque praestantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, ... Gracchani iudices sustulerunt“. L. Opimius C. Gracchum occiderat; L. Calpurnii Bestiae quoque in rebus illis quasdam partes fuisse, Cicero brevi ante scripsit; P. Popillium, vi C. Gracchi expulsum, sua rogatione restituit. Cur autem de C. Catonis ad optimates, si rediisset, reditu Cicero taceat, non liquet. — C. Carbonis a Gracchanis defectio multis locis, C. Catonis nusquam legitur, ut Drumanni sententia: „in seiner Jugend Anhänger des Tiberius Gracchus“ incertissima videatur.

Accedit, quod C. Catonis avum, Censorinum, Cicero in eodem de amicitia libro summis et sapientiae et sanae prudentisque amicitiae laudibus extulit, velut cap. II. § 6, 9, 10; VI. 21; XXI. 76;

XXIV. 90, et ad unius familiae homines sermonem, ubi potuit, dedita opera deduxit ita, ut virtutibus alterius cum alterius vitiis comparatis vires ac nervos vivumque colorem narrationi impertiret. Sic Ti. Gracchi P. f. vitam illustrat et una Tiberii Gaique, filiorum eius, studia atque exitum deplorat de off. lib. II. cap. XII. § 43, de fin. lib. IV. cap. XXIV. § 65; quin etiam ad P. Sempronium et Scipionem Africanum avos redit de harusp. resp. cap. XIX. § 41. Simile quid in Catonum amicitia alterius probissima, improba alterius expectares; de hac, si qua extitisset, Catonis censoris familiaris Laelius, qualem sibi quidem finxit et loquentem induxit Cicero, non sine verbosa acerbissimi doloris testificatione et desiderio mortui cum Fannio et Scaevola colloqueretur.

Mihi C. Catonis nomen ex dittographia nominis, quod est C. Carbo, videtur fluxisse.

Restat ut moneam, verba „et minime tum quidem Gaius frater“ non cum Klotzio aliisque interpretanda esse: „et tum quidem minime sequebatur Gaius frater“, sed cum Madvigio in editione Laelii, quae prodiiit Hauniae, a. 1835, p. XVIII., ex „acerrimus“ intelligendum esse „acer“: „tum quidem minime acer“. Citat Madvigius Liv. XXXVII. 41: „Quae nihil admodum Romanis (incommoda), eadem perincommoda regiis erant“. Minus ad rem facit de republica I. § 71. Ad historiam quod attinet, suo iure negat Madvigius, ullis machinis effici posse, ut non „sequebatur“ ad Gaium quoque affirmativo modo pertineat, citatque Plutarchum, quem male interpretati erant alii.

4. Gravissimum est ad rem, quam modo attigi, iudicandam, quod teste epitomatore Livii lib. LVIII. Tiberius seque et fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum creavit. Appiani B. C. I. 13 de eadem re narratio: *ἐπεχειροτόνηντι πρώτοι Γράκχος αὐτὸς ὁ νομοθετῆς καὶ ἀδελφὸς ὁμόνυμος ἐκείνου καὶ ὃς ἐκήδευε τῷ νομοθέτῃ Κλαύδιος Ἀππιος, πάντῃ τοῦ δήμου καὶ ὃς δεδιότος, μὴ τὸ ἔργον ἐκλεισθῆναι τοῦ νόμου, εἰ μὴ Γράκχος αὐτοῦ σὺν ὅλῃ τῇ οἰκίᾳ κατάρχοιτο*, etiam Mommseni sententiae (Inser. lat. antiquiss. pag. 156) repugnat, tres viros ex lege Sempronia, etsi iure annuos, tamen ex consuetudine Romana ita in officio videri retentos esse, ut quotannis idem homines crearentur nec nisi in demortuorum locum alii succederent. Nullam eiusmodi consuetudinem equidem novi neque, si qua fuit, verisimile est, eam valuisse infirmare legem eodem anno latam neque abrogatam. Triumviri enim coloniis deducendis, ut magistratus extraordinarios aliqua ex parte nostris illis similes ad partes vocem, ex lege Acilia anno 197 a. C. (Liv. XXXII. 29) et ex lege Aelia anno 194 a. C. (Liv. XXXIV. 53) in triennium iam creati erant. Contra lex Livia CL tantum dies statuit. Videtur autem Ti. Gracchus ideo tulisse, ut triumviri quotannis crearentur, ne languerent neve corrumperentur ab optimatibus. Deinde munus maximis periculis innumerabilibusque insidiis obnoxium iterum tertioque isdem viris mandatum est, quorum iam spectata erat fides, industria vere popularis animusque fortissimus.

Non probabiliter Mommsenus l. l. dicit, Fulvium Flaccum et Papirium Carbonem una cum C. Graccho usque ad huius mortem a. u. c. 633 munere agrario functos esse. Duo enim annos Gaius quaestor degit in Sardinia (Cic. Brut. c. XXVIII., Plut. C. Gracchus c. I.), ubi nullus per omnes illos annos ager assignatus est, neque usque ad annum 633 ut quotannis crearentur magistratus agrarii, optimates concessisse crediderim. Quid enim sibi voluisset Gaius lex agraria eadem, quam et Tiberius frater tulerat, nisi haec artibus nobilium abolita fuisset? Proclivius est suspicari, Sempronium Tuditanum consulem anni 625 u. c., ubi primum ei iudicatio, qua ager publicus, qua privatus esset, addicta est, una cum assignatione etiam creationem triumvirum agrariorum inhibuisse idemque fecisse, qui deinceps fuerunt consules, donec Gaius tribunus plebis creatus est.

## Caput alterum.

### De notis et verbis quibusdam agrariis.

Officium agrarium in liberae reipublicae inscriptionibus nunquam plene scriptum, sed semper notatum invenitur.

I. Antiquissimae, quae aetatem tulerunt, in terminis Gracchanis leguntur hae:

C · SeMPRONIUS TI · F · GRAC

AP · CLAUDIVS · C · F · POLC

P · LICINIUS · P · F · CRAS

III · VIR · A · I · A

M · FOLVIVS · M · F · FLAC

C · SEMPRONIUS · TI · F · GRAC

C · PAPERIVS · C · F · CARB

III · VIRE · A · I · A

Prior inscriptio in duobus terminis legitur, quorum alter exhibetur apud Ritschelium priscae latinitatis monum. epigr. enarratio tabb. pag. 49, Mommsenium inscript. lat. antiquiss. N. 552, alter apud Mommsenium N. 553. Hi duo termini sunt annorum u. c. 622—23. Altera inscriptio item in duobus terminis legitur, apud Ritschelium tab. LV, C et D, apud Mommsenium N. 554—55; est ea annorum 624—25.

II. Restituti sunt termini quidam Gracchani a Lucullo:

M · TEREIVS · M · F

VARRO · LVCVLLVS

PRO · PR · TERMINOS

RESTITVENDOS

EX · S · C · COERAVIT<sup>2)</sup>

QVA · P · LICINIUS

AP · CLAUDIVS

C · GRACCVS · III · VIR

A · D · A · I · STATVERVNT

Lapis periit; auctores, qui saeculo XVIII. inscriptionem legerunt, Mommsenus N. 583 nominat. De lectione videtur constare. Borghesius titulum ad annos 679 vel 680 rettulit, cum M. Lucullus praetor fuerit inter cives et peregrinos annoque 681 fasces obtinuerit. Mommsenus cur secus esse sibi videatur, exponit in hist. Rom. itemque inser. antiqu. p. 162.

III. In legibus Bantina, quae inter annos DCXXI. et DCXXXVI. rogata est (Ritschl. tab. XIX. v. 14, Mommsen N. 197 v. 15), et repetundarum, anni DCXXXI. vel DCXXXII. (Ritschl. fragm. A v. 9, tab. XXV, B 16, 22 tab. XXIII, Mommsen N. 198 v. 13, 16, 22):

III · VIR · A · D · A seu TRIVM · VIR · A · D · A (ita nonnullis locis)

magistratibus minoribus adnumeratur; idem magistratus solus nominatur in legis agrariae, anni DCXLIII., fragmento B. v. 15 (Ritschl. tab. XXVIII., Mommsen N. 200).

Denique in legis coloniae Iuliae Genetivae, anni DCCX, tab. I. col. 3, v. 16 (Ephemeris epigraphica vol. II. 1874 pag. 110, cf. pag. 224) memoratur quidam, „cui C(olonis) A · D · A · I(us) ex lege Julia est“.

Officia viri docti credunt notata fuisse haec:

I. in terminis Gracchanis: *agris iudicandis adsignandis*;

II. in termino a Lucullo restituto: *agris dandis adsignandis iudicandis*;

III. in legibus Bantina, repetundarum, agraria, coloniae Iuliae Genetivae: *agris dandis adsignandis*.

Cf. Orellius Inscr. lat. coll. I. N. 544 et 570; Henzen III. N. 6464, pag. 106, 202; Haubold-Spangenberg, Monum. legal. pag. 32 cet.; Klenze, Fragmenta legis Serviliae repetundarum; Rudorff, Ackergesetz des Sp. Thorius; Mommsen, II. II.; Huebner, pag. 633 XV., 635 XVII cet.; Mommsenus

<sup>2)</sup> De formis *Folvius*, *Polcer*, *Graccus*, *Paperius*, *vire*, *coeravit*, item de aliis a nostra consuetudine recedentibus, in quas pag. 8—10 incidet, videsis excursus I.

propter Orellianam 3138 (in Mommseni elogiis N. IV. pag. 278), in qua nominatur X · VIR quidam AGR · DAND · ADTR · IVD ·, alteram A terminorum Gracchanorum etiam *adtribuendis* legi posse censet.

Primum de priore A exponam (§ 1), deinde de ceteris notis verbisque agrariis, iis quoque, quae, ut *dividere*, notata non inveniuntur (§ 2).

### § 1.

#### De singulari numero *AGRO* in antiquiore et in recentiore latinitate.

Ut priorem A Romanos liberae rei publicae non pro *agris*, sed *agro* accepisse demonstrarem, opus est omnem huius verbi, quoad publicum fuit, usum describere, sive in inscriptionibus is observatur, sive in libris. Quod ut invidendum videtur esse quaerere, ita inutile et supervacaneum non est definire, quam late agri publici vis ac notio agri collectiva in antiquiore lingua latina patuerit. Disseram autem ita, ut

**I.** primum auctoritatis locum mihi teneant inscriptiones Gracchorum aetatis suppare unaque antiquior, quia plures eius generis ad nostra tempora non pervenerunt;

**II.** alterum Livius rerum scriptor, quippe qui vetus dicendi genus plerumque aut felicissime imitatus sit, aut ex annalibus aliisque fontibus in suos libros receperit;

**III.** tertium locum Ciceroni oratori concedendum esse existimo, ut qui neque ignoret antiquitatem et oratoriae varietati aliquid tribuat;

**IV.** quarto denique loco collocabimus cum titulos tum scriptores inferioris aetatis.

#### **I.** Inscriptiones aetatis Gracchorum duae unaque antiquior.

Quamquam ipsum officium inscriptiones nostrae notis significant, tamen in universa re agraria ita versantur, ut numerum, qui notis subsit, certa coniectura assequaris.

**I.** Primum vero nos perlegere oportet legem agrariam anni 643, cuius fragmenta A. T. Rudorff (*Ackergesetz des Sp. Thorius*) et Th. Mommsen (*Inscript. lat. antiquiss. N. 200*) in genuinum nexum ordinemque redegerunt.

Locos, ne multiplex eorum varietas iudicii facilitatem praepediat, in hunc modum digeremus.

a. Ager publicus, sive totus sive aliqua pars eius indicatur, per totam legem unus est:

Quei ager poplicus populi Romanei in terram Italiam P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit, extra eum agrum, quei ager ex lege plebeivescito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rogavit, exceptum cavatumve est, nei divideretur (I. IV. VIII. cet.).

Ager publicus populi Romanei quei in Italia P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit, eius agri III · VIR · A · D · A ex lege plebeive scito quoi ceivi Romano agrum dedit adsignavit (XV.).

Quei ager locus in Africa est (XLVIII, LI).

Sei quei ager moinicipieis, seive quae pro moinicipieis colonieisve sunt ... ager fruendus datus est (XXXI.).

Quibuscum transactum est, ut ei bona, quae habuissent, agrumque, quei eis publice adsignatus esset, haberent (XCI.).

Ivir, quei ex hac lege factus creatusve erit, is in diebus CL proxumeis, quibus factus creatusve erit, facito, quando Xvirei, quei ex lege Livia factei createive sunt fueruntve, eis hominibus agrum in Africa dederunt adsignaveruntve.



Agrum locum, quem Xvir ex hac lege stipendiariis dederit adsignaverit (LXXX.).

Extra eum agrum, qui ager intra finis populorum liberorum fuit (LXXIX.).

Extra eum agrum, quem ex hac lege venire dari reddive oportebit.

b. Pluralis numerus agri genera aliquot, superioribus capitibus singillatim enumerata, comprehendit. Unum genus is ager efficit, quem lex propter iuris paritatem vel eandem condicionem assignationisque formam uno enuntiato et singulari numero complectitur, quamvis multi acceperint. Cuius rei exempla supra sub a vidisti aliquot. Ea autem pluralis vis est his locis:

Pequnia, quae pro agris locis aedificiis, qui supra scripti sunt, populo debetur (LXXII.).

Ei agris, qui supra scripti sunt, possessionesque ea omnia eorum hominum (XCIII.).

Quod quoque ex hac lege ita uti supra scriptum est, in agris, qui in Italia sunt, qui P. Mucio L. Calpurnio cos. publicis [nominativus pluralis] populi Romani fuerunt, civi Romano facere licebit (XXIX.).

Quod ex hac lege ita, uti supra scriptum est, in agris, qui supra scripti sunt, Latinum peregrinumque facere vel non facere oportebit (XXIX.).

Vir, qui ex hac lege factus creatusve erit . . ., de eis agris ita rationem inito (LIX.).

Neve quid quis postea, quam vectigalia consistent, quae post hanc legem rogatam primum constiterint, ob eos agros locos aedificia populo aut publicano dare debeat, neve scripturam pecoris, quod in eis agris pascetur, populo aut publicano dare debeat (XX.).

c. Neque tamen plura agri genera semper plurali numero efferuntur. Nam

α) ager novo colono datus (V.—XV.) et ager veteri possessori redditus (XVI.) unum agrum efficiunt: „Sei quis eorum, quorum ager supra scriptus est“ (XVIII.), omnesque agri per totam legem privati facti unus ager sunt „ex hac lege privatus factus“ (LXXX.).

β) Pluralis generum in singularem convertitur:

Quam censores, quom eorum agrorum vectigalia locaverunt, eis agris legem dixerunt, neve quod in eis agris pecus pascetur, scripturae pecoris legem deicito, quo inviteis eis, qui eum agrum possidebunt, aliter pascantur (LXXXVIII.).

Alienum a nostra quaestione est, quod ager a vetere possessore sumptus (II.), ager adsignatus (III.), ager commutatus (IV.) quater vel quinquies, praeposito scilicet adiectivo omnis (VII.—X.), unum agrum efficiunt. Ceterum huic agro, qui ex hac lege privatus fit, opponuntur agri, qui antea fuerunt (VIII.):

Ceterorum locorum agrorum aedificiorum privatorum.

d. Quod supra significavi, eandem iuris condicionem in causa esse, cur aliquis ager unus sit, id etiam in omnia genera nondum distincta cadit, quae fuerunt ager publicus populi Romani.

e. Omnis haec legis agrariae scribendi ratio ad notiones collectivae, quas vocant, singularis numeri nos perduxit. Earum enim est, ut Nisus ait (Charisius ed. Keil p. 28) „pluraliter dici, cum in genera accipiuntur“. Agri autem vim collectivam v. LXIX., ut alios mittam, manifesto ostendit:

Qui agrum de eo agro, qui ager in Africa est, magistratus Romae publice vendiderit:

wem der Magistrat Ager von dem Ager, welcher Ager in Africa liegt, verkauft hat.

f. Pluralis vero verborum collectivorum non solum ex generum divisione, sed etiam ex eorum multitudine existit, qui alicuius rei participes fiunt. Pluralis enim ea denotat, quorum unumquodque per se integrum quoddam corpus est. Quapropter multorum hominum vel sunt agri vel esse possunt. Cf. v. VIII:

Eiusque venditio ita, uti ceterorum agrorum locorum aedificiorum privatorum est, esto.

## 2. Titulus Popillii cos., sententia Minuciorum.

Sequitur, ut cum lege agraria duas inscriptiones consentire demonstrem, quarum altera antiquior est, quam lex agraria, altera fere eiusdem aetatis. Popillius, quem non consullem anni 632, id quod Mommsenus Ritscheliusque statuerant (cf. Mommsen in Ritschelii libro qui inscribitur: „Monumenta epigraphica tria“ pag. 10—14 et Inscript. lat. antiquiss. n. 551, Ritschelii tabula LI B.), sed censorem anni 595 intelligendum esse Henricus Nissen a me rogatus humanissime me docuit certissimisque, quae propediem eum publici iuris facturum esse credo, argumentis comprobavit, „primus“, inquit, „fecerit, ut de agro poplico aratoribus cederent paastores“.

Porro „Q. M. Minucieis Q. f. Rufeis“ [nominat. plur. II.] „de controversiis inter Genuateis et Veituriis cognoverunt et qua lege agrum possiderent dixerunt“ (Ritschl. tab. XIX., Mommsen N. 199). Praeter v. 5—6, 7, 14, 24, 23 notabis v. 30: „qui eorum in eo agro agrum possidebunt“. Cf. lex agraria v. 65, 69: „tantundem modum agri loci de eo agro loco“.

Ex omni hac publice scribendi consuetudine legis agrariae, tituli Popillii, sententiae Minuciorum quid consequens sit, apertum est. Nam in magistratum officio publice nuncupando non id premi potest, quod aut genera quaedam agri ab iis distribuuntur, aut multorum civium, quorum unusquisque suum agrum accipit, multi agri ex assignatione emergunt. Immo ideo creantur, ut agrum publicum vel agrum dent assignent sive dividant. Sive igitur finitam vim sive infinitam vocabulo damus: „Triumvirn zur Vertheilung des Ager, Triumvirn zur Vertheilung, Anweisung von Ager“: singularem numerum tenebis. Sed in Gracchorum legibus finita notio magis placebit, quia longe maximam partem agri publici daturi assignaturi erant, excepto eo tantum agro, qui ex plebiscito cautum erat ne divideretur.

## III. Livius.

Alter nobis audiendus est Livius, et primum quidem

a. iis locis, quibus ipsum officium nominat:

III. 1. triumviros agro dando creat. VIII. 16. triumviros coloniae deducendae agroque dividendo creaverunt. XXXI. 4. decemviros agro Samniti Apuloque, quod eius publicum populi Romani esset, metiendo dividendoque crearet.

Haud ignoro, coloniarum, quae deductae sunt III. 1 et VIII. 16, ex ipso coloniariae assignationis iure rituque singularum quodammodo unum esse agrum, neque locum illum, qui est XXXI. 4, propter nomen *Samniti* cet. additum ad rem diiudicandam sufficere, quia gentis aut regionis alicuius vel apud eos scriptores unus plerumque est ager, qui nudum verbum *ager* plurali numero efferre solent. Sed Gracchorum leges et triumviratus nullos scrupulos iniiciunt. Periocha enim libri LVIII narrat,

Ti. Sempronium Gracchum . . . in eum furorem exarsisse, ut . . . „se et C. Gracchum fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet“. Item periocha libri LIX.: „seditiones a triumviris Fulvio Flacco et C. Graccho et C. Papirio Carbone agro dividendo creatis excitatae“.

Quam religiose autem ea in rebus publicis auctoris vestigiis insistat, primo quoque obtutu facile doceris. Nostro potissimum loco non neglegendum erit, quod idem triumvirum ordo in illa atque in terminis Gracchanis apparet, quorum inscriptiones supra pag. 7 attuli, quamquam nomina per se sexies permutari possunt.

b. Singularem plurali scriptor non sine peculiari quodam consilio ac ratione opponit:

III. 68. Visite agros vestros ferro ignique vastatos . . . Atenim communis res per haec loco

est peiore: ager uritur . . . Iam unicuique ex agris sua damna nuntiabuntur; . . . olim . . . agro ex hoste capto redibatis. VII. 31. urbem Capuam . . . agros dedimus.

Ipsa autem deditione ex agris VII. 31 ager fit publicus populi Romani:

agrum urbemque per deditionem factam populi Romani; agrum, qui populi Romani factus esset. Iam igitur simile aliquid de lib. III. 1 affirmabimus:

agri captum priore anno aliquantum a Volscis esse; ita sine querellis possessorum plebem in agros ituram; triumviros agro dando creat.

Nimirum singularem Livius agrario officio reique publicae tribuit, vulgi sermoni pluralem; hic agros sive iure sive usu privatos, ille eundem, qui fuerat, agrum respicit publicum. Plebs ibit in agros sine possessorum querellis, sed triumviri agro dando creantur. Similis est locus XXXI. 4:

Cum de agris veterum militum relatum esset, qui ductu atque auspicio P. Scipionis . . . bellum perfecissent, decreverunt patres, ut M. Iunius praetor urbis, si ei videretur, decemviros agro Samniti Apuloque, quod eius publicum populi Romani esset, metiendo dividendoque crearet.

Noli hoc ut bis vel ter factum in quodam casu ac temeritate verborum ponere; aliis enim locis, qui omnia agraria verba habent, eadem discriminandi studia observantur:

XXXI. 49. De agris militum decretum, ut quot quisque eorum annos militasset, in singulos annos bina iugera acciperet; eum agrum decemviri assignarent. IV. 36. agri publici dividendi coloniarumque deducendarum ostentatae spes et vectigali possessoribus agrorum imposito . . .

VI. 36. alteram (legem promulgaverunt L. Licinius L. Sextius) de modo agrorum, ut ne quis plus quingenta iugera agri possideret. IV. 51. (Bolani agri divisione) minuissent desiderium agrariae legis, quae possesso per iniuriam agro publico patres pellebat. Tunc haec ipsa indignitas angebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos vi teneret, pertinacem nobilitatem esse, sed ne vacuum quidem agrum, nuper ex hostibus captum, plebi dividere.

Quorum locorum primo, altero, tertio possessorum vel eorum, quibus assignatur, multitudini respondet pluralis: *Einzelbesitzungen*; quarto loco lex patres pellit possesso per iniuriam agro, id quod publice dictum est; patres autem vi tenent agros. Item

XXXI. 13. decreverunt, ut quoniam magna pars eorum agros vulgo venales esse diceret et sibimet emptis opus esse, agri publici, qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia eis fieret; consules agrum aestimatos et in iugera asses vectigales testandi causa, publicum agrum esse, imposituros.

Nam intra quinquagesimum lapidem non continuus ager publicus fuit, sed privatorum agri multi interiecti.

Etsi omnibus his locis Livius pluralem singularemque numeros et collocatione coniunctos voluit et significatione diversos, tamen aliis locis aliter numeri inter se differre possunt, prout aut publicum privatumve colorem quandam, ut ita dicam, historia bibit, aut ipsum ius seu privatum seu publicum spectatur.

c. Si igitur ad eos locos progredimur, quibus alterutro tantum numero Livius utitur, pluralis orationibus maxime convenit, singularis narrationi eique orationi, quae legum quandam similitudinem prae se ferre videatur.

Hic igitur pluralis numerus vel assignatorum agrorum, quos primum, vel possessorum, quos deinde memorabo, nihil offensionis habebit.

II. 41. agros illos servitute eis, qui acceperint, laturos; . . . passurum se, adsignari agros. (Verginius ad plebem facit verba.) IV. 49. qui vos urbe agrisque donatos in colonias mittunt;

... qui agros sedesque stabilire volunt (Sextius ad plebem). VI. 17. Sp. Cassium in agros plebem vocantem oppressum (audiebantur propalam voces exprobrantium multitudini). VI. 41. Sextius et Licinius tamquam Romulus ac Tatius in urbe Roma regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant (Appius ad plebem). VI. 40. Tu de fenore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, iubeas (idem Appius ad plebem). V. 11. Omnia fieri, ut nec de agris, nec de aliis commodis plebis ferre ad populum tribuni possint (tribuni ad plebem). X. 21. In stationem prope perpetuam infestae regionis, non in agros mitti rebantur (homines plebei).

Ut ad possessionem transeam:

VI. 41. nec iam possidendis publicis agris contentos esse (patres), nisi pecuniam quoque publicam avertant (Manlius ad plebem). VI. 37. nec agros occupandi modum nec fenore trucidandi plebem alium patribus unquam fore (Licinius et Sextius ad plebem). XXXIV. 4. quid legem Liciniam excitavit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? (M. Porcius Cato ad plebem). VI. 39. plebem liberos agros ab iniustus possessoribus extemplo, si velit, habere posse (Licinius et Sextius ad plebem).

Contra in rebus narrandis iisque orationibus, quae ad legum genus scribendi ac dicendi prope accedunt, Livius singularem scripsit: *ager*, *ager captus*, *ager publicus*, plerumque adiectis verbis dandi, adsignandi, dividendi aliis, quae vere publica habenda sunt.

VI. 39. De fenore atque agro rogationes iuebant. Cf. locus supra laudatus VI. 40: tu de fenore atque agris iubeas<sup>3)</sup>. III. 1. iam priore consulatu Aemilius dandi agri plebi fuerat auctor. XXIII. 46. ager Hispanis in Hispania et Numidis in Africa datus est. XXXX. 41. Ligures in Samnium traducti agerque iis inter populares datus est. II. 16. his civitas data agerque trans Anienem. XLII. 22. Senatusconsultum factum est, ut qui Ligurum post Q. Fulvium L. Manlium consules hostes non fuissent, ut eos ... praetores in libertatem restituendos curarent agrumque iis trans Padum Popillius consul daret ... traductisque Padum ager est assignatus. IV. 30. colonorum additus numerus agerque his bello interemptorum adsignatus. VI. 4. In civitatem accepti, qui Veientium Capenatumque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque his novis civibus adsignatus. XXXII. 1. (prorogatum est imperium praetori) C. Sergio, ut militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia stipendia per multos annos fecissent, agrum adsignandum curaret. XXXXIII. 3. senatus decrevit, ut in numero colonorum essent, agro adsignato. XXXX. 38. ager publicus populi Romani erat in Samnitibus ... agro dividendo dandoque iidem, qui traduxerant, Cornelius et Baebius praepositi. VIII. 12. ager in Latino Falernoque agro maligne plebi divisus. (Cf. lex agraria v. 69 et sententia Minuciorum v. 30.) XXXIX. 44. coloniae duae, Potentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum traductae sunt; diviserunt agrum coloniasque deduxerunt iidem triumviri. IV. 11. ut nec ager ullus divideretur ... nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri assignaretur. epitome libri LVIII. legem se promulgaturum, ut iis, qui lege Sempronia agrum accipere deberent. IV. 48. cum rogationem promulgassent, ut ager ex hostibus captus viritim divideretur magnaepartem nobilium eo plebiscito publicarentur fortunae — nec enim ferme quicquam agri, ut in urbe alieno solo posita, non armis partum erat, nec quod venisset adsignatumve publice esset, praeterquam plebs habebat. I. 46. Servius agro capto ex hostibus viritim divisus. XXXXI. 16. agri aliquantum captum, qui multis milibus hominum dividi viritim posset. XXXX. 4. eodem anno, cum agri Ligustini et Gallici, quod

<sup>3)</sup> Cf. excursus II.

bello captum erat, aliquantum vacaret, senatusconsultum est factum, ut is ager viritim divideretur. II. 48. K. Fabius ... censuit ... captivum agrum plebi quam maxime aequaliter darent. IV. 53. Si iniusti domini possessione agri publici cederent. II. 61. Ap. Claudio causam possessorum publici agri tamquam tertio consuli sustinenti. IV. 58. ne plebs agri publici aut suffragii libere ferendi consilia agitet. X. 13. eo anno plerisque dies dicta ab aedilibus, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent. II. 41. adiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri a privatis criminabatur. epitome libri LVIII. tulit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, ut iidem triumviri iudicarent, qua publicus ager, qua privatus esset. XXXXII. 1. „senatui placuit, L. Postumium eos. ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire“, et infra: „per recognitionem Postumi eos. magna pars agri Compani, quem privati sine discrimine possederant, recuperata in publicum erat.“ Contra rectissime in utriusque generis agro complectendo XXXXII. 8: consul alter Postumius agris recognoscendis in Campania occupatus aberat ... consumpta aestate in recognoscendis agris. XXXXII. 24. agrum, qua cuiusque sit, possideri velle.

Huic usui non singularis eorum locorum repugnat, qui pluralem ferre possint, sed pluralis tantum, ubi pro eo singularem exoptes. Collectiva enim notio, de qua supra dixi, in pluralem certas ob causas potuit, non debuit transire. Nullam igitur difficultatem habent IV. 44, I. 46, 47.

nec agrum plebi, sed sibi invidiam quaeri. — De agro plebis adversa patrum voluntate senserat agi. — Regem ereptum primoribus agrum sordidissimo cuique divisisse.

Neque molestior est VI. 39. Nam tota dictio, qualis haec est:

non esse modestiae populi Romani postulare, ut ipse fenore levetur et in agrum iniuria possessum a potentibus inducatur,

si cum hisce eiusdem capituli verbis comparas:

se ipsam plebem morari; liberos agros ab iniustis possessoribus, liberam urbem ac forum a creditoribus extemplo, si velit, habere posse,

dignior apparet et legibus propior. Contra incommodus mihi pluralis est in periocha libri LXXXIX. et CXXV:

Sulla quadraginta septem legiones in agros captos deduxit et eos his divisit. — Caesar reversus in Italiam veteranis agros divisit.

Quamquam pluralis excusatur quodammodo verbis, quae subsequuntur:

receptis in partes suas populis, quorum agri divisi erant.

Superest ut afferam IV. 12 et 44:

causa seditionum nequiquam a Petillio quaesita, qui ut de agris dividendis plebi referrent consules ad senatum, pervincere non potuit. — Subinde ab isdem tribunis mentio in senatu de dividendis agris illata est.

Neque vero refert, quid tam paucis locis negligentius vel liberius, quam plus centum aliis, Livius scripserit, sed quae verissime scriptoris consuetudo habeatur ac ratio scribendi. Haec autem quin et ipsi officio publice nuncupando et universae latinitati antiquiori singularem numerum vindicet, iam non dubitabimus.

### III. Cicero.

In orationibus agrariis contra Servilium Rullum habitis Cicero numeros plerumque ad arbitrium miscet, ut in tertia cap. I. 3 Sullani agri ex eodem fiant, qui in altera cap. XXVI. in eadem assignatione unus ager Sullanus fuit. Sed ubi de legibus vel senatusconsultis refert, cum Livio facit et lege agraria anni 643.

ad Att. I. 19, 4 liberabam agrum eum, qui P. Mucio L. Calpurnio eos. publicus fuisset: Nam P. Mucius Scaevola et L. Calpurnius Piso Frugi consules fuerunt anno u. c. 621, quo Ti. Gracchus tribunus plebis leges agrarias pertulit. Ad eundem annum etiam lex agraria anni 643 respicit. Cf. supra pag. 8. Phil. V. cap. XIX.: uti C. Pansa A. Hirtius cos. alter ambove, si eis videretur, cognoscerent, qui ager iis coloniis esset, quo milites veterani deducti essent;... consules alter ambove rationem agri habeant, qui sine iniuria privatorum dividi possit, isque militibus legionis ... ita daretur assignaretur, ut quibus militibus amplissime dati assignati essent, ubi pluralis complures assignationes priores indicat<sup>4</sup>).

Et ibidem in eodem senatusconsulto:

utique C. Pansa A. Hirtius consules alter ambove, si eis videretur, cognoscerent, qui ager iis coloniis esset, quo milites veterani deducti essent, qui contra legem Iuliam possideretur, ut is militibus veteranis divideretur.

Oratoriam autem varietatem trium illarum orationum non est cur hic persequar.

#### IV. Recentiores tituli et scriptores.

Deinceps, ut erat propositum, iterum de inscriptionibus dicendum est, quae planissime docent, quid inter antiquum et novum sermonem intersit. Nam L. Munatius L. f., consul anni 712 (apud Orellium N. 590, in Mommseni inscriptionibus regni Neapolitani N. 4089) AGROS · DIVISIT · IN · ITALIA · BENEVENTI, et apud Henzenum 6493 in monumento aetatis Augusti L. Memmius C. f. fuit AD · AGROS · DIVIDVNDOS ·

Non igitur demirabimur, quae Velleius, Florus, Eutropius, Aurelius Victor, Obsequens scripserunt.

Velleius II. 6. C. Gracchus dividebat agros. II. 2. Ti. Gracchus triumviros agris dividendis creavit se cet.

Florus III. 14. Sic triumviratus creatus dividendis agris. IV. 5. Alterum bellum concitavit agrorum divisio, quos Caesar veteranis persolvebat.

Eutropius I. 6. Priscus Tarquinius non parum agrorum Sabinis sublatum urbis Romae territorio adiunxit. VI. 4. Pompeius aliquantum agrorum Daphnensibus dedit.

Aurelius Victor LXV. Gracchus triumviros agris dividendis se ... constituit.

Obsequens cap. CVI. S. Titius tribunus plebis de agris dividendis populo cum pertinaciter legem ferret.

Sed ex bonis fontibus hausit Valerius Maximus VII. c. 2. § 6. Senatus Ti. Gracchum ... Idem ut secundum legem eius per triumviros ager populo viritim divideretur, egregie censuit.

Orosius V. 8. Gracchus agrum a privatis eatenus possessum dividi statuit.

Qui autem pluralem numerum scripserunt, tantum abest, ut locupletiorum auctorum fidem imminuant, ut augeant. Quid enim non auderet Velleius, qui etiam „colonias condere“ scripsit (I. 15)? Universam latinitatem antiquiorem perscrutare, tale nihil investigabis.

Quamquam quid opus est pluribus? Immo vereor, ne nimius in agro videar. Ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει αἰανῆς ταχείας ἐλπίδας.

<sup>4</sup>) Non tacendum est Varronem (de re rustica ed. Schneider) lib. I. cap. II. 10 numero multitudinis uti in hoc officio: alterum collegam tuum, XXvir qui fuit ad agros dividendos Campanos, video huc venire, Cn. Tremellium Scrofam. Sed haec sermonem imitari videntur. Nam in ipso officio constat Campanorum agrorum nullam mentionem Caesarem fecisse; fuerunt simpliciter XXviri ad agrum dividendum vel, ut rectius dicam, agro dando assignando. Ut vero Caesaris aetate officium illud pluralem numerum iam habere potuisse credam: certe ea res non redundat ad superiora tempora.

## § 2.

## De verbis quibusdam agrariis.

## I. DARE ADSIGNARE.

De litterarum D·A interpretatione *dando adsignando* nulla controversia potest existere. *Dare* autem generatim, *adsignare* speciatim dicitur; adsignatio est modus dationis. Eodem modo explicanda sunt „datus redditus commutatus adsignatus“ in legis agrariae v. XCIV, ubi „datus“ eadem ratione ad unumquodque eorum, quae subsequuntur, trium verborum pertinet; „dedit reddidit adsignavit“ v. XXIII; „datus redditus commutatus“ v. LXXXII, ubi sententia legis vetat dationem simpliciter pro assignatione scriptam putare. Apud Gellium N. A. XIV. cap. II. (Hertz): „petebatur apud me pecunia, quae dicebatur data numerataque“ agitur de pecunia credita. — De verbis *dare facere, dari fieri, dare solvere, dare praestare* cet. cf. Dirksenii „Manuale latinitatis fontium iuris civilis“.

## II. IUDICARE ADIUDICARE.

Litteram I terminorum Gracchanorum (cf. pag. 7) *iudicandis* explicant; A litteram autem alteram eorundem terminorum, quod vulgo item *adsignandis* interpretantur, Mommsenus pag. 156 non improbat is quidem, sed propter Orellianam inscriptionem N. 3138, in qua nominatur Xvir quidam AGR·DAND·ADTR·IVD; legi posse existimat *adtribuendis*. Tu vide, ne termini Gracchani et adtribuendi et adsignandi verbum pariter reiciant. Illud enim propterea vereor ut sit agrarium, quod in agro ignorant lex anni 643, Livius, Cicero. Et quid elogio illi credemus, quod non ante Augusti aetatem factum idemque valde obscurum est? Quae enim post saeculum septimum medium Xvirorum quorundam agrariorum iudicatio fuerit, non magis scitur, quam ex qua lege ager ille „adtributus“ sit.

Sed etiam tralaticia iudicandi adsignandi interpretatio displicet. Parum enim verisimile est, triumviros, si assignationem memorassent, dandi vocabulum brevitatis causa omissuros fuisse. Cf. Siculus Flaccus (Gromatici veteres ex recensione Lachmanni 156, 4): „Inscriptiones in centuriis frequenter invenimus tales DATVM ASSIGNATVM certum modum, aliquando vero compluribus unum modum; 156, 25: praeterea invenimus subscriptiones tales, ut DATVM ASSIGNATVM adscriptum sit, subiectum REDDITVM SVVM; 157, 21: in Pisaurensi comperimus DATVM ASSIGNATVMQVE ut ...“ cet.; 155, 23: „inscriptiones ergo diligenti cura intuendae erunt, ut sciamus, quantum dati assignati, quantum redditi et quantum commutati sit“. Num quidquam oratorie in isto genere inscriptionum abundare putas?

Praeterea ipse Mommsenus p. 156—57 demonstravit, terminos Gracchanos non minus, quam Minucianos, ex iudicatione originem traxisse nec quidquam commune habere cum coloniis reliquisve assignationibus triumvirum Gracchanorum. Quapropter quid in titulis, qui unius officii sunt, duorum notae, alterius mutilata, quasi indigent, non dispicio.

Has propter causas legere malim: *iudicando adiudicando*. Iudicatio in praeterito praesentive tempore versatur, in futuro adiudicatio; haec eam possessionem emptionem assignationem confirmat, quam illa veterem et legitimam esse aperuit. Verbum est agrarium; repetitionem adiecta praepositione vacasse molestia, ostendunt *dare reddere* (l. agrar. 23 cet.), *lectei sublectei, legundis sublegundis* in lege Cornelia de XX quaestoribus, ibidem *dare subdere, rogare subrogare* in lege Iulia municipali. — De re ipse cogitasse videtur Mommsenus p. 156: „ex iudicato adiudicandorum“.

## III. DIVIDERE ET ADSIGNARE, REDDERE, PARTIRI.

Quid intersit inter verba *assignare* et *dividere*, inter viros doctos nondum constat. Quae Schwegler hist. Rom. II. 416 scripsit, nulli eorum, qui legent, rem planam facient. Neque probari

potest librorum lectio Siculi Flacci de condicionibus agrorum, quam recepit Lachmannus (Gromatici veteres p. 154, 9): „Divisi et assignati agri non unius sunt condicionis. Nam et dividuntur sine assignatione et redduntur sine divisione. Dividuntur ergo agri limitibus institutis per centurias, assignantur viritim nominibus“. Cavendum quoque erit, ne verbo dividendi eandem, ut plerumque fit, significationem tribuamus, sive apud gromaticos occurrit, sive apud Ciceronem, Livium, alios.

1. Ex Siculi Flacci expositione haec fere apparent. *Dividere* idem est, ac *limites per centurias instituere, die Ackercenturie abtheilen vel eintheilen*, postquam victis agri ablati sunt, ut plerumque militibus, veteranis, colonis dentur. „Nec tamen omnibus personis victis sunt agri ablati; nam quorundam dignitas aut gratia victorem ducem movit, ut eis concederet agros suos. Itaque limitibus actis cum centuriae exigerentur, eorum, quorum nomina continent, agri notabantur, quantum in quaque centuria haberent“. (155, 6—10.) Horum igitur, quibus parcebatur, agri, siquidem in centuriis illis siti erant, in divisionem quidem necessario cadebant secundum perticam ac normam centuriationis; sed agros iis assignatos esse Siculus Flaccus negat dici posse. Hi igitur agri sunt „divisi nec assignati, ut etiam in aliquibus regionibus comperimus, quibus, ut supra diximus, redditi sunt agri“ (160, 22). „Illud praeterea comperimus, deficiente numero militum veteranorum agro, qui territorio eius loci continetur, in quo veterani milites deducebantur, sumptos agros ex vicinis territoriis divisisse et assignasse. Horum etiam agrorum, qui ex vicinis populis sumpti sunt, proprias factas esse formas; id est suis limitibus quaeque regio divisa est“ (159, 26 — 160, 1). „Aliquando vero in limitationibus, si ager etiam ex vicinis territoriis sumptus non suffecisset, et auctor divisionis assignationisque quosdam cives coloniis dare velit et agros eis assignare, voluntatem suam edicit commentariis aut in formis extra limitationem, MONTE ILLO, PAGO ILLO, ILLI IVGERA TOT ... Hoc ergo genus fuit assignationis sine divisione, quoniam, ut supra dictum est, agri dividuntur limitibus structis per centurias, assignantur viritim nominibus“ (160, 14—23).

Iam non opus est multis verbis demonstrare, ea, a quibus profecti sumus, Siculi Flacci verba ita restituenda esse: „nam et dividuntur sine assignatione et assignantur sine divisione“. Verbum *assignantur* propter simile sonans illud *assignatione* excidit, et in eius locum substitutum est *redduntur*, quod verbis superioribus *dividuntur sine assignatione* manus librarii alicuius interpretationis causa adscripserat. Ut quosdam agros sine divisione redditos esse concedamus, id quod Lachmanni lectio contendit: at ab tota illa Siculi Flacci rerum agrariarum enarratione prorsus alieni sunt. Immo non liquet, cur ablati fuerint, nisi divisionis causa: „nec tamen semper universa territoria, quotiens ager coloniae deficit, vicinis auferuntur, sed solum quod assignare necesse fuit, quod ipsum legis praescriptio declarat“ (160, 11). Etiam particula *nam* primo enuntiato *et dividuntur* ... praeposita, ut ad alterum membrum possit aequabiliter pertinere, poscit ut scribamus: „assignantur sine divisione“.

Latius autem assignandi notio patet apud Hyginum de condicionibus agrorum 117, 12: „Divisi et assignati agri sunt, qui veteranis aliisve personis per centurias certo modo adscripto aut dati sunt aut redditi, quive veteribus possessoribus redditi commutatique pro suis“.

Sed ut ad vocabulum *dividere* redeam: haec significatio, artis ea gromaticae propria, statuenda est, ut alios locos omittam, apud eundem Siculum Flaccum 136, 15: „alios vero agros vendiderunt, ut Sabinorum ager, qui dicitur quaestorius; eum limitibus actis diviserunt et denis [quibusdam]<sup>5)</sup> quibusque actibus laterculis quinquagena iugera incluserunt atque ita per quaestores populi Romani vendiderunt“<sup>6)</sup>.

<sup>5)</sup> secluserunt Lachmannus.

<sup>6)</sup> Hic modus omnino in usu fuit antiquissimis liberae reipublicae temporibus. Cf. Siculus Flaccus 152, 23: „quaestorii dicuntur agri, quos ex hoste captos populus Romanus per quaestores vendidit. Hi autem limitibus institutis



Totus igitur ager venit, nulla gleba ulli coloniae aut viro data, et tamen ager divisus fuit. Item Hyginus de limitibus constituendis 181, 2: „quattuor regionibus aequaliter pertica non potest dividi“.

Si vero altius hanc vim verbi technicam repetere volumus, „limitum prima origo, sicut Varro descripsit, a disciplina Etrusca; quod aruspices orbem terrarum in duas partes diviserunt, dextram appellaverunt, quae septentrioni subiaceret; sinistram, quae ad meridianum terrae esset; ab oriente ad occasum, quod eo sol et luna spectaret ...; aruspices altera linea ad septentrionem a meridiano diviserunt terram ... Ab hoc fundamento maiores nostri in agrorum mensura videntur constituisse rationem. Primo duo limites duxerunt; unum ab oriente in occasum, quem vocaverunt decimanum; alterum a meridiano ad septentrionem, quem vocaverunt cardinem. Decimanus autem dividebat agrum dextra et sinistra, cardo citra et ultra. Quare decumanus a decem potius quam a duobus, cum omnis ager eo fine in duas dividatur partes?“ (Frontini de limitibus lib. II. pag. 28. Cf. Odofr. Müller, Etrusker II. 151 sqq.)

Omnem igitur assignationem, quae non, ut supra vidimus, praeter ordinem fit, ex Siculi Flacci sententia praecedit divisio. Difficile equidem expedio locum 161, 6: „cum pulsi sunt populi partitque<sup>7)</sup> qui locupletiorum fuissent lati fundi, in cuius agro fuissent plures personae, his divisus et assignatus est“. Potest autem, ut ante hanc quoque assignationem centuriatio facta sit.

Quapropter *dividere* et *assignare* ἀσύνδετα poni possunt, velut 136, 20: „Postquam ergo maiores regiones ex hoste captae vacare coeperunt, alios agros diviserunt adsignaverunt; alii ita remanserunt, ut tamen populi Romani essent“. Neglegentius, ni fallor, semel divisionem assignationi subiecit idem Siculus Flaccus 165, 18: „auctores assignationis divisionisque“, qui alibi, velut 157, 11 „auctores divisionis assignationisque“ sunt.

Ergo „ager datus assignatus“, quibus verbis lex agraria anni 643 aliaeque permultae, interdum etiam scriptores utuntur, agrum „divisum assignatum“ et agrum „assignatum viritim nominibus“ comprehendit, ut apud Siculum Flaccum 155, 23: „Inscriptiones ergo diligenti cura intuendae erunt, ut sciamus, quantum dati assignati sit, quantum redditu et quantum commutati“.

2. Diversa ab illa gromatica est vulgaris significatio *vertheilen* vel *zutheilen*, quae in agro apud Ciceronem, Livium, alios scriptores plerumque statuenda est. Permulta eius usus exempla in §. 1 congesta legisti.

Atqui paucissimis quibusdam locis etiam apud scriptores, qui non in gromatica arte versantur, opponuntur inter se vel *dividere* et *dare* vel *dividere* et *assignare*. Apud Livium equidem talem locum novi unum XXXX. 38: „agro dividendo dandoque iidem, qui traduxerant, Cornelius et Baebius praepositi“. Duos autem apud Ciceronem, in oratione II. de lege agraria, cap. XXXI, 85: „Equidem existimo, si iam campus Martius dividatur et unicuique vestrum, ubi consistat, bini pedes assignentur, tamen promiscue toto, quam proprie parva frui parte malitis“, et in oratione Phil. V. cap. XIX. in senatusconsulto Ciceronis: „utique C. Pansa A. Hirtius consules alter ambove, si eis videretur, cognoscerent, qui ager iis coloniis esset“ cet. (cf. pag. 14). Nihil autem setius apud Ciceronem hoc *dividere* idem esse ac nostrum *vertheilen*, non *eintheilen*, ex eodem senatusconsulto intelligitur: „ut is militibus veteranis divideretur“ (cf. pag. 14).

laterculis quinquagenum iugerum effectis venierunt“. Hyginus 115, 15: „quae centuriae nunc appellantur (in quaestoriis agris), id est plinthides, hoc est laterculi, eosdem in quinquagenis iugeribus quadratos cluserunt limitibus, atque ita certum cuique modum vendiderunt“. De imperatorum aetate legatur Rudorff, gromatische Institutionen 419: „die Quadrate wurden“ (in der Kaiserzeit) „noch bei den Staatsdomänen in den Provinzen angewendet“.

<sup>7)</sup> ex emendatione Lachmanni pro *potestatique*.

Ceteri quoque scriptores optimae aetatis *dividere* et *assignare* prorsus promiscue scribunt. Cf. Livius IV. 11: „consenserant, ut nec ager ullus divideretur, nisi is, qui iudicio infami interceptus esset, nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri assignaretur. Triumviri creati, qui praeter minime populare ministerium, agro adsignando sociis (i. e. Rutulis), quem populus Romanus suum iudicavisset“ cet.

3. Siculus Flaccus, ubi simpliciter vertheilen, non τεχνικῶς eintbeilen dicere voluit, cautius bis vel ter verbo *partiri* usus est, 153, 27: „cum antiqui agrum ex hoste captum victori populo per bina iugera partiti sunt“ et 136, 14: „ut vero Romani omnium gentium potiti sunt, agros ex hoste captos in victorem populum partiti sunt“. Aptissime coniunxit ea Hyginus 116, 8: „qui . . . ex hoste capti partitique ac divisi sunt per centurias, ut adsignarentur militibus“; „per centurias“ ad solum *dividendi* verbum respicit, *partiti* absolute positum est. Livius et Cicero verbo *partiendi* in agro ne semel quidem usi sunt.

4. In lege agraria anni 643 *dividere* in uno eodemque membro ter vel quater repetito ad legem plebeive scitum C. Sempronii Gracchi refertur v. VI., VII., XIII., XXII.: „quei ager ex lege plebeive scito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rogavit, exceptum cavitumve est ne divideretur“; *dare adsignare* ibi plus quinquagies legitur.

Ergo etiam lex plebivescitum C. Gracchi verbum *dividere* habuit; contra magistratus ex ea lege creatos *dando adsignando* fuisse, pag. 7 ex legibus repetundarum, Bantina, agraria didicimus; illud autem verbum nemo sibi persuadere oratoriae variationis et elegantiae causa in lege plebivescito scriptum fuisse; ergo vim a *dando adsignando* distinctam in illa lege plebivescito habuerit necesse est.

Sed haec hactenus. Qui in privatos agros post messorum veniunt, ne minimas quidem spicas, quas a messoribus relictas arripere contingit, aspernantur, ut aliquem tandem fasciculum, quantuluscunque is est, secum auferant. At vero in agro publico populi Romani quot per hos septuaginta annos messorum elaboraverunt quamque plenas demessuerunt mergites! Quapropter equidem, dummodo ne in paleis operam perdidisse censear, vel tenuiores quasdam spicas legisse atque adeo, ne nimium mihi sumam, singula tantum bonae frugis grana sive in agro centuriato sive per subseciva ac finitimas regiones in hac commentationis particula I. investigasse satis habebo.

Particula II. eadem ratione in possessione antiquissima, quae ante leges Licinias Sextias in usu fuit, eiusque normis, si quae fuerunt, publicis, denique in eiusdem aetatis assignatione viritana et coloniaria versabitur.

## LECTIONES.

### A. ORDINIS THEOLOGORUM.

#### Dr. Franc. Dittrich, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam ecclesiasticam primi aevi enarrabit diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni h. IX—X.
- II. Ius canonicum tradet diebus Lunae, Martis h. IX—X, die Mercurii h. XI—XII.

#### Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

- I. Apologetices partem alteram tractabit diebus Lunae et Iovis h. VII.
- II. Theologiam dogmaticam docere perget diebus Martis, Mercurii, Veneris, Saturni h. VII.
- III. Theologiae pastoralis partem quae curam animarum complectitur enarrare continuabit quotidie h. VIII.
- IV. Disputationes de rebus theologicis instituet horis definiendis.

#### Lic. Hugo Weiss, P. P. E.

- I. Selecta capita Pentateuchi interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- II. S. Pauli ad Corinthios epistolas explicabit ter per hebd. h. VIII.
- III. Exercitationes Arabicas et Syriacas instituet bis per hebd. horis definiendis.
- IV. Grammaticam Hebraicam docebit semel per hebd. hora definienda.

#### Lic. Julius Marquardt.

- I. Theologiae moralis partem specialem tradere perget diebus Lunae, Martis, Iovis, Saturni h. X—XI.
- II. Doctrinam dogmaticam de gratia explicabit bis per hebdomadem.

### B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

#### Dr. Laur. Feldt, P. P. O. h. t. Prodecanus.

- I. Meteorologiam et climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Iovis hora XI—XII.
- II. Exercitationes geometricas moderabitur, et librum cl. Mascheroni „Geometrie du Compas“ illustrabit diebus Martis et Veneris h. XI—XII.
- III. De chronologia et de calendario Iuliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Mercurii hora II—III.

**Dr. Ios. Bender, P. P. O.**

- I. Historiae recentioris capita praecipua tradet ter per hebd. h. VIII.
- II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas enarrabit bis per hebd. h. VIII.
- III. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. h. VIII.
- IV. Historiam poesis Christianae maxime apud Germanos exponet hora definienda.

**Dr. Fried. Michelis, P. P. O.**

Commeatu impetrato lectiones nullas habebit.

**Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.**

- I. Ciceronis de re publica libros II—VI enarrabit ter hebdomade h. IX.
- II. Sophoclis cantica chorica interpretabitur bis hebdomade.
- III. Tertulliani apologeticum tractabit bis hebdomade.
- IV. Exercitationes philologicas instituet h. d.

**Dr. Ios. Krause.**

- I. Psychologiam tradet ter per hebdomadem hora X.
- II. Metaphysicam docebit ter per hebd. h. X.
- III. Exercitationes paedagogicas moderabitur semel per hebd. hora definienda.
- IV. Repetitorium et disputatorium philosophicum instituet semel per hebd. hora defin.

---

**Publica doctrinae subsidia.**


---

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Lic. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.

---

**CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.**


---

Nomina victorum et quaestiones in annum MDCCCLXXV—VI praepositae suo tempore renunciabuntur.